

gessit, Procuratorque primùm Mexici renunciatus, dein idem pro America nostræ Provincijs ejusdem Instituti munus acturus, in Hispaniam amissus est. A Supremo S. Inquisitionis Consilio Sacris adscriptus Censoribus fuit, à Catholico Rege pro Concionibus instituto coram se habendis. Tum, auxilio ut esset in pastoralibus curis Pontifici Seguntino, Episcopus electus & consecratus, Diocesim perlustrans, febrique correptus diem vidit postremam 22 Julij anno 1679 ætatis 46. Scripsit

Conciones varias.

Ejus meminit Betancurtius, post Menologium, in Tractatu de Illm̄s. Provinciæ S. Evangelij Episcopis pag. 136 n. 8.

494 F. AUGUSTINUS DE ZEPALLOS, Natione Mexicanus, cui natale solum Goatemala, Ordinem S. Francisci in Provinciâ patria à SS. nomine JESU dicta, quæ Observantium est, amplexatus, egregio cum à doctrina, tum à vita fuit nomine. Theologiam ubi aliquot annis Sodales suos docuit, atque è sacro suggestu ad populum dixit, Sapientibus insipientibusque multis ipsum elogijs & laudibus prosequentibus, auræ se subdixit blandienti, & in cella abditus, uni Deo, sibi ac religiosis vacare institutis intra claustra decrevit cõtemplationi cœlestium deditus, jugique propriæ mortificationi. Huic, quoad vixit, proposito

hærens, perinde in amplissima Civitate se gessit, ac si in remotam ab omni commercio solitudinem contendisset. Edoctus in Schola orationis, & abnegationis palæstra, ubertius quam olim in Minervæ Gymnasijs, divina, duos in quarto tomos reliquit scriptos, qui in Bibliotheca servantur Cœnobij Goatemalensis Primarij PP. Franciscanorum: Primus est de Mystica Theologia, ab ijs qui cam callent & excolunt habitus multi, cui titulus

Anima in Deum volatus.

Secundus autem ita habet:

Notæ pro familiaribus concionibus ad sacras Virgines & Spiritualem vitam agentes.

Ut Author nobis est F. Antonius Arochena in sillabo ad nos dato de Scriptoribus Provinciæ suæ n. 10. eorum qui idiomate hispano scripsere. Nostri præterea meminit F. Franciscus Vasquez in Chronicis dictæ Provinciæ Goatemalensis tom. 2 lib. 4. cap. 74 pag. 352.

B

495 M. F. BALTHASSAR DE ALCOCER ET SARIÑANA, Natione Mexicanus, Mexici ortus est ex gente clarissima, Illm̄. Antequerensis Episcopi D. D. Isidori de Sariñana ex sorore nepos. Ab ipsa ineunte ætate avunculum ingenij & doctrinæ laude cum primis

mis famosum, ac si imitandum in animo haberet, totum se excolendis litteris dedit. Sacrum Regiumque Beatissimæ MARIE Virginis de Mercede Ordinem professus, Mexicanæ Provinciæ, cui se addixerat, ornamento fuit & decori eximio, Mexicam juxta Academiam, Parentem itidem sibi dilectissimam, præclarè adornans. Sodalibus Præceptor Philosophiæ datus, mox etiam Theologiæ, Magisterij lauream emeruit, primariasque Familiæ clarissimæ Præfecturas. Collegium à S. Petro Paschasio nominatum Mexici rexit, quod extractis officinis, multisque operibus instauravit, ejus propterea incolumitati proficiens, quod insigne sit Provinciæ Seminarium suæ, è quo celebres doctrinâ & religione viri prodierint, prodeantque quotidie. Cœnobio Primario Mexico Commendator præpositus, strenuum in eo augendo expoliendoque operam navavit, addito deinceps, egregijs sumptibus, amplo Cavèdio, quod laboratis strenuè lapidibus, clathris ferreis, & pictis sacris Imaginibus perpulchrû evasit. Provincialis confidentibus declaratus suffragijs, omnium se exhibuit Patrem Religiosorum; quibus comitate acceptissimus & humanitate, facile studia litterarum, Ordinis que præscripta, ut animo usque tenerent, pro ut solenni ipsis fuerat in more, pergerentque ex animo, injunxit.

496 In Universitate Mexicanensi Doctoralibus utriusq̄ Sophiæ infulus fuit insignis, Cachetrisque præfectus, Vicennium in eo posuit suggestu, qui Sammulis Logicæque tradendæ matutinis horis est destinatus, donec in Primarium Theologiæ Antecessorem Perpetuum (si quidem hanc pridem ad tempus spartam ornaverat, priusquam Philosophiæ Moderatoribus adscriptus fuisset) octo virorum calculis fuit evedctus. Porro Academicis natus exercitationibus, frequentissimus erat in Minervæ atrijs, sive pro thesibus propugnandis, sive pro impetendis scholastico ritu, sive pro quibusque alijs Gymnasia concernentibus alumnosque & tyrones, quorum accommodatus captui perspicuè semper agebat & perhumaniter. Adhæc alijs incumbebat muneribus, quæ egregium decebant Theologum, Censoremque S. Inquisitionis, atque Evangelicum Oratorem. Fato tandem concessit merentibus non Sodalibus modò Mercedensibus & viris Academicis, sed Religiosis etiam Familijs, Jesuitarum in primis, quæ fuerat multa addictissimus consuetudine, Nobilibus que hominibus, & infimæ sortis, quos urbanitate sibi & benevolentia devinxerat. Extant ab ipso edita quæ sequuntur hispano sermone.

Funeris Oratio habita Antequæ Goaxacensium in exuviarum translatione quatuor ejusdem quondam

Ecclesie Antistitum M. D. F. Thoma de Monteroso: D. D. Nicolai del Puerto: D. D. Isidori de Sarrinana ex Cuenca: M. D. F. Emmanuelis de Quiros. Mexici, typis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1702, quam habemus in Collectaneis nostris in quarto. tom. 39.

Panegyrica Oratio pro Sacra B. Joannis de Deo apotheosi in Sancto-rum censum relati solemnissimo à Fratribus de Hospitalitate ejusdem Divi officio celebrata. Mexici, mox indicatis litteris Lupercianis anno itidem 1702. Extat in Libro id argumenti Conciones cæteras Mexici habitas, Poeticosque lusus complectente, de quo cum ad Joannem Ramirez de Santibañes devenimus opportunus nobis sermo recurret.

Festivum triduum, seu Historica enarratio Lectorum exhibens oculis Epinicia ab Academia Mexicana tri-duo instituta plaudendi ergo relatum ab Catholico Rege nostro Philippo V Hispanorum armis apud Villaviciosa campos eximium de potentissimis hostibus triumphum. Mexici, formis Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1712. Habetur in Collectaneis nostris in quarto. tom. 24.

Inedita verò, quæ ex Academicis monumentis rumari potuimus, ita habent.

Tractatus de Summulis.

Tractatus in Universam Aristotelis Logicam.

Reliqua autem, quæ ad Philo-

sophici perfectionem Cursus spectant, quamvis ab insinuaris Gymnasij libris non habeamus, quippe ea duntaxat signantibus quæ singuli annuatim Professores pro suo quisque munere docent, Nostri autem præter Summulas & Logicam, pro suggestu suo non intererant alia; omnia tamen discipulis intra religiosa exhibuisse claustra non dubitamus.

Tractatus de Scientia Dei.

Tractatus de SS. Trinitate.

Reliqua hæcenus nos fugerunt, scientes esse non pauca, & Scholastica & Concionatoria, tantoque haud indigna Magistro. Meminit ejus Sodalis admodum eruditus M. F. Joannes Antonius de Segura & Troncoso in Seneca suo de Mercede. Mss.

Ejusdem etiamnum viventis elogium texere D. D. Petrus Ramirez del Castillo, in Nuncupatoria quam Concionibus suis pro petitione Canoniarum Vallisoleranæ Ecclesiæ Michoacanensium præfixit Mæcenatem sibi Nolstrum salutans: Et M. Ferdinandus Toro Altamirano Dominicanus, haud absimili Balthasarem honore prosequutus in editione Panegyrici de S. Petro Martyre à se habiti.

497 F. BALTHASAR DE LA CAMPAÑA, cujus Natio & Patria nos fugiunt, Domicilio saltem Mexicanus, Ordinis S. Augustini in Provinciâ S. Nicolai Tolentinatis, quæ apud Michoacanenses floret, alumnus, dum Con-

ven-

ventum incoletet Oppidi de Tangamandapio, Tomum scripsit

De Morali Theologia,

Uti ab gravissimis ejusdem Familiæ viris accepimus, opinamur quæ Mss apud memorati Tabularia Cœnobij asservati.

498 F. BALTHASSAR DE LA CARRERA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, S. Francisci Regulam in Provinciâ Observantium S. Evangelij professus, litteris & muneribus clarus fuit. A S. Inquisitionis Triumphis Cenforis titulo, & à Sodalibus Concionatoris Generalis gradu, pro eximijs in sacro suggestu laboribus, jure insignitus, Parochum supra 40 annos egit industrium Civitatis de Toluca, quæ ad Diocesim Mexicanam spectat, atque è plurimis à se habitis sermonibus edidit.

Eucharisticam Orationem pro Triumphis à Catholico Rege nostro Philippo V apud Villaviciosa re- portatis, atque in Paracia sua egregio Urbis plausu, laudeque Virginis Deiparentis susceptis. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1712. in quarto. Legitur tom. 98 Collect. nostræ.

Panegyricam Orationem à se dictam in solenni Sacrarj ejusdem Parochiæ Dedicatione. Extat cum alijs in idem Collimantibus, in Libro cui titulus, *Manus religiosa.* Mexici, mox dicta Typographia 1730. in quarto.

499 F. BALTHASSAR DEL CASTILLO, Natione Mexicanus, Me-

xici ortus, Ordini Minorum de Observantia in Provinciâ S. Evangelij nuncupatis votis se adjunxit, & Magistrum nactus doctissimum F. Augustinum de Betancurt, non modò Philosophiam didicit & Theologiam, sed verò etiam Mexicano altè fuit imbutus idiomate, dignus quem Magistrum plenis buccis nuncupaverit Præceptor ipse, editoque elogio cohonestaverit ipsum loco infra dando, & in Centura Opusculo, quem mox dicturi sumus, præposita. Prædicatoris titulo fuit insignis, & Parochiam de Hecxotla canonico titulo administravit. Edidit idiomate hispano itemque mexicano Librum in quarto cui titulum dedit,

Lux una duxque pro Evangelicis Indorum Ministris. Mexici, ex Typographia Joannis Josephi de Guillena Carrascoso 1694.

Pro Agonizantibus Librum unum. Mexici 1677.

De quibus meminere citatus Betancurtius in de Illustribus Provinciæ S. Evangelij viris pag. 144. n. 46 tomo. 4 Theatri Mexicani: Bibliotheca Franciscana tom. 1 pag. 176. & D. Antonius de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali tom. 2. col. 732.

500 P. BALTHASSAR CERVANTES, Natione Mexicanus, apud Goaxacenses ortus, Societatem JESU amplexatus, tanto seriore tyrocinium aggressus est, ut Sodalibus a Præfecto suo velut

Ssss

imi-

imitandum exemplar virtutum proponeretur. Studiorum palestram adivit, dimensusque strenue, eos tulit honores, qui non nisi eminentioribus decerni Scholaribus in Familia Jesuadum solent, universa per diem integrum Theologia publice defensata. In Cinaloæ Missiones dimissus, barbarâ imbutus Indorum linguâ, totum in eis Apostolico zelo juvandis septennium, egregiâ rerum omnium inopiâ & molestiâ posuit, donec Mexicum avocatus, tradendâ in Maximo Collegio Philosophiæ Magister fuit institutus. Ubi hac per triennium functus provincia fuerat, Angelopoli sistitur, Theologiam Moralem in recens structo S. Ildesontis Gymnasio frequentissimis auditoribus à suggestu dicturus. Inibi agens, acceptissimus fuit Illmô. D. D. Alfonso de la Mota, ejusdem Collegij Fundatori, qui vix non omnia ejus consilio negotia & decreta committebat. Dein reliquum vitæ in Maximo Collegio Mexico transegit, Præfecti spiritus, ut dicitur, titulo, eximij virtutum exemplis & Sodalibus percharus & exteris, quorum ut saluti, Indorum in primis, consuleret, Mexicanum idioma studiosissimè comparavit. Paupertatem sic coluit, ut ne minimum quidem dare aut accipere ausus fuerit citra expressam Superioris licentiam. Castitatem ad mortem usque illibatam servavit, non

semel & iterum sed tertium etiam ab impudentissimis provocatus mulierculis, quas ipse seriâ & acri animadversione deterruit, atque ad meliorem fugè traduxit. Insigni floruit vel in durioribus & abjectioribus obedientiâ, patientiâque simili, & ab hominum commercio abstractione ac recessu: nam toto ultimo ætatis decennio agrâ & molestissimâ valetudine divexatus, uni Deo ferventissima deditus oratione vacabat, vixque è latebris cubiculi exibat, nisi mane alieno deductus auxilio in Sacellum interius rei divinæ adfuturus, & Sanctissimâ depascendus Eucharistiâ. Tandem annos natus 70. & ab inira Societate, 55 in cælum, ut pie credimus, evolavit 2 Julij anno 1649 ut à Menologio Provinciæ Societatis JESU Novæ Hispaniæ, addito operâ P. D. Joannis Antonij de Oviedo, editoque anno 1747 acceptum habemus. Scripserat Nolter

Cursum Philosophiæ,

Et

Moralis Theologia Tractatus.

Quorum tituli latent nos, pariterque scrinia ubi Mss. servantur, quorum suere exemplaria multa pro auditorum, quibus tradiderat, numero.

501 ILLMUS. D. M. D. F. BALTHASSAR DE COBARRUBIAS, Natione Mexicanus, nepos Clarissimi viri, summi Hispaniarum Consilij Præsidis, à litteris & vir-

tu-

rutibus Illmî. D. D. Didaci Cobarrubias & Leyba, Mexici Parentibus claris genere Joanne Antonio de Cobarrubias, & Catharina Muñoz natus, Ordinem S. Augustini in Provincia SS, nominis JESU amplexatus, ad Imperiale Mexicanum Cœnobium 15 Augusti anno 1577 profectus est. A doctrinâ commendatus & moribus, quibus Patriæ & Provinciæ decori fuerat & ornamento, Episcopali bus infalis redimitus, tribus successivè præfuit Ecclesijs, se postquam Paraguaiensi regendâ subdlexerat, ad quâ à Catholico Rege destinatus, & Pontificijs Clementis VIII litteris 10 Septembris 1601 fuerat electus. Ad Novam Geræam in Philippinis Insulis anno 1603. die 13 Februarij conscriptus Pastor, biennio post, scilicet 6 Junij 1605 vitâ functo Illmô. D. M. D. F. Bartholomæo de Ledesma Episcopo Goaxacensi successor est datus. Hinc 4 Februarij 1608. ad Michoacanensem promotus sedem, in hac procurandâ Ecclesiâ annos posuit quatuordecim, & verò sanctè ipsam & prudenter administrasse Author est, qui ejus habet memoriam in ejusdem Ecclesiæ Theatro; Egidius Gonzales Davila pp. 122 & 123. Vitam clausit 27 Julij 1622, uti ipse scribit Egidius, cui nolter suffragatur Balthassar de Medina eruditus admodum Provinciæ S. Didaci Mexicanæ nudipedum Frædicatorum Chronographus & fo-

lio 240. n. 9. opportunèque notat æquivocum passum fuisse F. Bartholomæum de Lcona in Statu Philippinarum Ecclesiastico n. 74. emortualem Illmî. Cobarrubias annum 1507 signatam, subjungentemque obijisse priusquam Pontificia inauguratus esset unctione. Graviora quavis lateant nos edita & inedita Nostri monumenta, unum, cujus copiam lectoribus fecit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis additæ tom. 2. col. 602. subjungimus patrio datum idiomate, scilicet

Testimonium ad Catholicum Regem de Episcopatus Michoacanensis Rebus, Urbibus, Civibus, & Gubernatione, die 20 Augusti 1619 Mss. Autographum in Bibliotheca Clarissimi D. Andrea de Barcia asservari Pinelus ipse ibidem est testis. Reliqua tanti viri & Acta & Opuscula hæcenus nos fugerunt.

Meminit quoque Nostri F. Alphonsus Franco in Mss. Historiâ Provinciæ Dominicanorum Mexicanæ S. Jacobi Libro 2. cap. 35. fol. 224. col. 11. qui cum testetur Balthassarem anno 1611 quo V. O. P. F. Petrus Galarza, Prædicatorum Ordinis decus, ad plures abiit, Mexici fuisse; Statuenti quadriennio ante P. Lconæ extremam Nostri diem necesse est refragetur. Demum, ejus texuit clogium Remesalium in Historia Provinciæ S. Vincentij

de Chiapa & Goatemala lib. 11. cap. 17. in 5. D. BALTHASSAR DE ECHAVE, Natione Hispanus, in Zunaya Oppido Guipuscoanæ Provinciæ natus, Domicilio Mexicanensis, Pictoriæ artis cultor egregius (cujus & uxor perita) multas æternitati relas optimis lineamentis, dispositis opportune coloribus, umbrisque & recessibus usus, atque omnibus expresscripto facultatis, gratijs fertas dedit, è quibus geminas insigni staturâ domi à majoribus acceptas habemus, alteram S. Elisabethæ Lusitanæ Regine, alteram S. Rosæ Viterbiensis Imaginem, multis ad rem alijs circumseptis capitibus, exprimentes. Adhæc eruditione minimè præditus, contemnendâ, Argumentum scripturæ sibi proposuit, quod nostrâ etiam tempestate famosum est, præsertim elucubrationibus, siquis ullis, eruditissimis Patris Emmanuelis de Larramendi, Societ. JESU Theologi sapientissimi, eximiamque & amœssimâ celeberrimi eruditione, cujus extant monumenta clarissima, editi Libri quos inter *Dictionarium Cantabrigie idiomatis elaboratissimum*. Noster Opusculum edidit hispano sermone.

De Cantabrigie Lingua antiquitate. Mexici 1607. in quarto. Cujus meminere D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1. pag. 142. & Henricus Martinecz in Tabulis suis His-

panicis Repertorium temporum dictis, editisque Mexici proprijs litteris anno 1606. in quarto.

503 P. BALTHASSAR GONZALEZ, Natione, ut conjicitur, Mexicanus, cujus incomperita nobis est Patria, Societatis JESU instituta secutus, Philosophicis & Theologicis ornâmentis tam egregiam in Mexicano idiomate peritiam adjunxit, ut ejusdem *Cicero* à doctis ejus linguæ viris audierit. Ea functurus in favorem Indorum, Collegium Mexicicum à S. Gregorio nuncupatum incoluit, confessionibus audiendis deditus & ipsorum piæ institutioni. Adversus Christi Domini Passionem egregiæ erat devotionis affectu, nec dissimili SS. Eucharistiæ Sacramentum religionè prosequeretur: Purissimam Deiparentem Virginem & Cœlites deperibat, ac suas in oratione deliciis habebat. Illustrationibus à Deo hautis insignis, plusquam 30 annorum tempore, ubi Sodalis Provinciæ quivis excefferat, statim à pulsatâ cubiculi janua vel lectuli capite, certior factus, Collegij Patribus Socium aliquem objit in Provincia nuntiabat, cujus non multo post funeris nuncijs veniebat. Nec porro suæ ipsum mortis dies latuit, qui Collegij Rectori, ipsum in extremis agentem monenti, ne moreretur absentibus Patribus in Domum Professam abeuntibus pro excipiendâ solemnissimâ Corporis Christi, quæ ea die agebatur, sup-

plicatione, reposuit, se non ante crastinam moriturum, qua veniente, felicissimè obiit in Domino, Sanctitatis famâ conspicuus, 19 Maji anno 1678. Fuit ejus frequentissimo Indorum cōcursu fuit actum, adventantibus non modo ipsorum Mexiceis Parçijs, sed etiam circum Urbem Pagorum innumeris incolis, qui atratis vestibus & vexillis, questibus & lacrymis defunctum carissimum sibi Patrem lamentabantur. Scripsit pereleganti stilo

Historiam admirabilis Guadalu-pane Imaginis Deiparentis Virginis idiomate Mexicano.

Ut testis est qui hæcenus à nobis narrata edidit P. Doct. Joannes Antonius de Oviedo in Menologio Provinciæ suæ edito anno 1747.

504 D. BALTHASSAR GONZALEZ DE OLMEDO, Natione Mexicanus, apud Goaxacenses natus, Theologicisque litteris eruditus, atque Indorum, quibus præfuit, imbutus idiomate, Parochiam de Tehuacam perpetuo rexit titulo, Vicarium item agens Judicemque Ecclesiasticum. Ad hæc S. Inquisitionis Officij Commissarius, & eodem pro S. Cruciatæ Tribunali nomine in ditio- ne sua insignis, edidit à se dictum in Ecclesia Antequerensî, quæ Provinciæ caput est & sedes Episcopi, die Apostolorum Principi devota,

Sermonem de glorioso Proto-Parente Divo Petro. Mexici, typis

Joannis de Ribera 1680. in 4. Extat in Collectaneis nostris tom. 5. *Sermonem de S. Agnæ à Monte-Policiano Angelopoli dictum.* Mexici, eisdem litteris Joannis de Ribera 1680. in quarto.

505 FR. BALTHASSAR A S. JOSEPHO ET PEÑA, Natione Mexicanus & Patria, Seraphici Patris Francisci Instituta sequutus in Provincia Goatemalensi, ejusdem Cœnobij varijs præfuit, atque in Europam Pro-Ministri titulo dimissus, Censores inter Theologos à Fidei Quæstoribus Mexicanis electus, edidit habitam à se vernacula lingua

Panegyricam de S. Petro Apostolorum Principe Orationem. Mexici, Formis H. V. Francisci Rodriguez Lupercio 1714. in quarto. In Schedis relictos *Sermones Socij* ut hic addant operamus.

506 P. BALTHASSAR LOPEZ, Natione Mexicanus, in Villa S. Michaelis, quæ ad Dioccesim Michoacatenis spectat, estque admodum frequens & pulchra, natus anno 1620, undevigesimum agens ætatis Societatem JESU in Provincia Nova Hispaniæ petivit, tenuitque nuncupatus, quæ tyrocinij biennium consequuntur votis, quatuor suo tempore emissis Professis aggregatus Patribus fuit, qui superiori in Familia gradu donati sunt: talem que se litteris & moribus præstitit, ut Bibliotheca Author Societatis numerandum ipsum scripserat

rit à sapientiâ & religione primos inter Provinciarum, maximis certè & plurimis utroque nomine vitibus scatentis. Porro, quod litteras concernit, multos ille annos posuit in amœnioribus tradendis, regendisque Cathedris Philosophicis & Theologicis, vulgari neutiquam dives eruditione, cum in humanis, tum etiam in sacris, qua latissimè patent doctrinis.

507 Dei autem gloriæ in animarum salute curanda avidius inhians & vehementius, Missiones, ut dicimus, apud Cinaloæ gentes peregit longissimè dislita loca incolentes, & ab Hispanorum commercio multis paralangis disjuncta. Demum à Provincia sua Romam dimissus Procuratoris munere, quod non nisi lectissimo cuique committitur, Oceanum navigans, ad cœlum, ut pie existimamus, appulit 17 Augusti 1750. Ediderat latino sermone

Orationem à se habitam in Collegio Maximo Mexicano Societatis Jesu pro studiorum instauratione. Mexici, apud Viduam Bernardi Calderon 1646. in quarto. Quam multoties recusa est in *Florilegio Oratorum ad usum studiose juventutis per Congregationem B. M. V. Anunciata Mexicæ in lucem edito*, è selectissimis, cum Ciceronis, tum gravissimorum aliorum Rhetorum Orationibus compacto, in octavo.

Noltri porro tam ipsa est omnibus absoluta numeris, Roma-

niq̄ue elegantia sermonis, sententiarum pondere & amœnitatē florens atque ornata Oratio, jure ut ijs compaginata fuerit, quæ delicatioribus & politioribus sunt probatę Magistris.

De Jure Societatis Jesu, quò immunitas est à Decimis solvendis. Opus multa eruditione refertum, Hispani primum, mox Cæsaraugustæ reculum 1648 in folio, ut Author est in Bibliotheca ejusdem Societatis P. Sotuelus pag. 102.

De Potestate Judicis conservatoris Societatis Jesu. Mexici 1647 apud Sotuelum ipsum. Addimus

Quinque Libros Rhetoricæ. Mexici, apud P. Robles 1632. in 8.

Cursum itidem Philosophiæ, Theologiæque Tractatus ab Authore è suggestu dictatos insinuare non prætermittimus, qui hæcenus nos fugiunt quærentes, certosque, pro hujus Mexicanæ Provinciæ perpetuo more, ab Nostro profectos. Et de Philosophiæ Cursum memoriam habet unàque eorum Noltri P. Joannes Ochoa, in Vita P. Pauli de Saiceda fol. 5 & 6, edita Mexici, litteris D. Mariæ de Benavides 1689.

508 D. BALTHASSAR LÓPEZ DE CASTRO, cujus Natio & Patria nobis est in ambiguo, Domitilio, ut minimum, Mexicanus, Scribaque publicus apud Regium Hispaniolæ Auditorium, edidit idioma hispano

Libellos supplices pro rebus ad eandem Insulam attinentibus, in primisque methodo Indos in ipsam iterum

invehendi. Editos esse annis 1598. 1603. 1604. 1605. 1607 in folio tradit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis novissimæ editionis col. 810. Meminitque ipsorum Joannes Diez de la Calle in Monumentis Indicis fol. 10. col. 2. ad marginem.

509 F. BALTHASAR DE MEDINA, Natione Mexicanus & Patria, nudipedis Franciscanis Mexicanæ Provinciæ à S. Didaco nuncupatę Professione se junxit, quam, si quis ullus, illustravit egregie, cuique simul & Patriæ fuit in delicijs. Philosophiam & Theologiam Lectoris functus munere Sodales docuit annos 15, bonisque & amœnissimis, quæ pollebat, litteris erudit, tanto in Libros conatu studioque incumbens, ut multas quotidie horas, duodecim frequentius, eis evolvendis daret, quas somno quietique subtraherebat, ut lectioni scripturæque deditus nullas sacris meditationibus regularibusque strictioris Familiæ institutis suffuraretur. Nec enim minori erat in religiosâ perfectione tenendâ, quam in excolendis scientijs studio, proptereaque & à Provincia sua Desinitor fuit constitutus atque Guardianus, & à totius Familiæ Præsule Visitator in S. Gregorij ad Philippinas Insulas Provinciam dimissus. Vastissimo, quod Americam interjacet & Asiaticas Insulas, pelago enavigato, ad propria revertitur,

Provinciæquæ suæ instituitur Chronographus, quam felicissimè adornavit spartam, sive fidem in narrandis observes, sive in disponendo methodum, sive elegantiam in scribendo & perspicuitatem opportunè junctam eruditioni. Ut verò scriptis etiam benemeretur de Patria, multa ejus totiusque Novæ Hispaniæ decora sparsim, oblata occasione, historiæ suæ inseruit.

510 Quod autem Mexicanorum ornamentum eximium fuit Beatus Philippus à JESU, excalceatorum memoratę S. Gregorij Provinciæ alumnus, Mexici natus, & apud Japonicenses Proto-Martyris gloriâ illustris, proptereaque in Beatorum album ab Urbano VIII relatus, ut conscriptis 14. Septembris 1627 Apostolicis litteris cernere est, incipientibus: *Salvatoris & Domini nostri.* Hac de causâ Balthasar, præter ea quæ in Chronicis suis Libro 3. toto cap. 12 brevius pro instituto suo de Actis, Martyrio, & Beatificatione Philippi scripserat, ejusdem altero Volumine plenam Historiam condidit, quam itidem publici juris fecit. His alijsque scripturibus, quas mox dabimus, insuperque sacris concionibus, & cæteris religiosi officijs vacantem, molientemque id temporis, à se dicendam ad Capuccinas Virgines de Immaculata Deiparentis Conceptione Orationem, mors, uti piè credimus, felicissima invenit an-

no 1697 mense Novembris an Decembris ambigimus, scientes penes eos dies denatum, ex his quæ Sodalis ejus sapientiâ & careris dotibus equalis F. Petrus Antonius de Aguirre, opportunè juxtà eloquenterque insinuat in Concionis exordio, quam, suffectus in defuncti locum, habuit apud eandem Moniales, edidit que anno sequenti. Noster ediderat

Chronicorum Provincia S. Didaci Mexicana nudipedum Religiosorum S. Francisci in Novâ Hispania Libros quatuor, uno comprehensos tomo. Mexici, apud Joannem de Ribera 1682. in folio.

Ad Calcem id operis nempe cap. 26 lib. 4. Centuriam Scripiorum qui e Reformatis Familie sue Religiosis varijs elucubrationibus inclauerunt.

Constitutiones Provincia sue suis adornatas curis, eisdem typis Mexicanis exhibuit 1698.

De Vita, Martyrio, ac Beatificatione Proto-Martyris Japonensis B. Philippi à Jesu tomum in quarto. Mexici, mox dictis formis 1683. Prodiit rursus Martiri ex Officina H. V. Joannis Garcia Infanzon 1751. in quarto.

Vitam F. Bernardi Rodriguez Lupercio, ejusdem S. Didaci Provinciae Sodalis. Mexici, ex Typographia item Luperciana 1688. in octavo.

Concionem de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione in Cathedrali Ecclesia Manilensi, qua Me-

tropolis est Insularum Philippinarum, à se habitam. Manila, apud D. Gasparem à Regibus 1672. in quarto. Quam & Authorem elogijs cohonestat P. Vincentius Lupercius Societatis JESU, Opere suo de Seculis Conceptionis Mariæ, Seculo 18. pag. 840. Mss.

Ineditorum Operum extant Miscellaneorum volumina duo in folio et tertium in quarto apud Bibliothecam Cœnobij S. Didaci Mexicani, quod primarium est & caput Provinciae.

Meminere nostri Bibliotheca Franciscana F. Joannis à S. Antonio tom. 1. pag. 177. P. Franciscus de Florentia S. JESU, in Historia Servatoris nostri Imaginis, quæ ad Sanctuarium de Chalmá nuncupatum ab Augustinianis Patribus asservatur, quotidiana que & insigni colitur religione cap. 53. D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis editionis novissimæ col. 753 & 836, ut præmittamus Betancurtium sepe ipsum in Theatro Mexicano laudantem, multosque in monumentis Mexicis varijs, hominis eruditissimi unâ ac religiosissimi elogia tenentes.

511 M. F. BALTHASSAR ORTIZ DE CARABEO, cujus Natio & Patria nobis sunt in incerto, Domicilio equidem Mexicanus, Ordinem Prædicatorum in Provincia S. Crucis Indiarum solenni ad S. Joannis in Laterano Cœnobium Habanense, emissâ pro-

professione anno 1675 amplexatus est. A Sanctitate vitæ haud minus commendatus quam à doctrina fuit, cujus affluentem sibi copiam ex Angelici Doctoris Libris hausit, quibus deliciarum causâ utebatur, proptereaque Cathedralis in eodem Conventu regendis admotus, & Philosophiam docuit & Sacram Theologiam, gradu subinde Magisterij ritè insignitus: Rure licet donatus, pristina nullis tamén ipse studia dimisit, imò vehementius perscrutandis S. Thomæ quatuor Summæ Theologicæ partibus incubuit, è quibus extracto industrie succo Librum scripsit cui titulum fecit,

Medulla Angelici Doctoris, Quique Mss extat in Bibliothecâ ejusdem Cœnobij, ut datis ad nos literis testis est M. F. Joseph González à Fonseca, ejusdem Ordinis, eo multoties degustato Opere, ingenium, studium, & doctrinam Authoris miratus.

512 F. BALTHASSAR A REGIBUS, Natione Hispanus, ad Castra Vitelliana forsitan natus (nam qui ejus nobis exhibet Vitam M. F. Didacus Bassalenque Augustinianus, in Historia Provinciae ejusdem Ordinis Regni Michoacanensis fol. 157. ambiguus de natali solo est, id certum habens situm in Beturia fuisse illum) adolescens Mexicum petijt, brevique Clarissimo S. Augustini Ordini nomen dedit in

Conventu Mexico, qui, indivisa tum temporis SS. Nominis JESU Provincia, omnium caput erat, etiam Michoacanensem, in alteram deinceps à S. Nicolao Tolentinate nuncupatam Provinciam abeuntium. Exacto cum observantiæ laude tyrocinio, emissisque votis, studijs incubuit egregio profectu. Quod verò avidius longè regularibus institutis cæteris & strictiori disciplina inhiaret servandæ, eximie probatus senioribus perfectiora cupientibus, & ad unguem retineri, ut fiebat, optantibus, primum Rectoris vices agere in Pauliano Collegio, Prioris item Cœnobij Maximi justus est: mox prior alijs, Zacatecano, videlicet, Atriscano, & Vallisolerano Conventibus præfuit, austeriori vitæ cum subditis, tum etiam extraneis imitandum ac verendum exemplar exhibens: Desinitur etiam Provinciae electus, eo quoque, quod è primarijs est munere, sanctè & prudenter est usus.

513 Tanta erat modestiâ & pudicitia amore, ut suâ nunquam sponte feminas visitaret, si quando verò ipsas, coactus munere Superioris, inviseret, homo cætera eloquens doctusque Prædicator, arque in virorum consuetudine humanus, cis de more salutatis, pisce, ut dicitur, taciturnior mox erat, ut pro inde, quem secum deferebat, Socium præmoneret, ipse ut urbanitatis ergo colloquia intexeret. Tem-

poris nullam passus jacturam, à confabulationibus inutilibus abhorrebat, cella perpetuo clausus, legendisque & scribendis deditus Libris, nisi, vel Præfulis, quod gerebat officium, egredi cum cogeret, aut aliò evocarent religio-
sa instituta observantia, quibus obediendis promptè omnibus vigilabat. Nec verò articularis morbus, quo cruciabatur, ipsum ut laboris & studij raderet, erat in causa; cujus tandem morbi molestia nimis à 60 ad usque 73 annum ætatis divexatus, Sacris que munitus Sacramentis, ad plures abiit in Cœnobio Cuicseano. Concionatoris egregie functus munere multos propria manu Libros scripsit videlicet,

Sermonum volumina 23.

Quorum singula quadringentis circiter folijs constare testis est de visu V. P. Bassalenque, addens, totidem à se numerata fuisse, quadriennio Nostri obitum præcedente, quo rursus tempore alia elucubrasse non dubitat.

514 D. D. BALTHASSAR DE TOVAR, Natione Hispanus, Domilio Mexicanus & munere, quod gessit in Regio Novæ Hispaniæ Areopago, cum primis insigni, Regij videlicet Fiscalis, Supremi Hispaniarum Indiarumque Principis jura & consulta facta rectaque propugnantis. Genere satis clarus, & utriusque peritiâ jaris conspicuus, ac varia præterea dives eruditione claros inter Mexicanos Togatos effulit.

Opus admodum utile, imò etiam pro America necessarium elucubravit, publica dignum luce, quam non dum aspexisse dolemus, scilicet

Compendium Apostolicarum Bullarum Indicium Mss in folio spisso volumine, ut testes nobis de visu homines eruditi testati sunt, insuper expendentis, præter Constitutiones Apostolicas ab initio detectæ America res ejus concernentes ad usque Scriptoris tempus, extremos videlicet proxime lapsi seculi annos, emanatas, Notas in eo libro Historicas, Juridicas, Eruditas, & ad Authores pro illis elucidandis appellationes citationesque plurimas inveniri. Authorem Librum que allegat D. Joannes de Urizar in Opusculis à se editis, de quibus in loco sermo erit, rursusque de Nostro recurrit, ubi ad D. Ludovicum de Mendoza devenimus.

515 D. BARNABAS DIAZ DE CORDOVA MURILLO, Natione Mexicanus, Angelopoli natus claris parentibus, ibidemque Latinis, Philosophicis & Theologicis litteris eruditus, Mexici Doctoratum in Sacra Facultate suscepit, quo insignis honore Lares repetens proprios, sacris interpretandis Biblijs destinatus. Professor fuit in Regio SS. AA. Petri & Joannis Collegio, quam ipse totos annos 20 spartam ornavit egregio juvenutis, ad ejus Aulam quotidie concurrentis,

emolumento. Adhæc, Parochias & Canonicatus periturus, literaria multoties pericola subijt prælectionibus idque genus alijs Gymnasijs exercitijs, donec à Catholico Rege pro Ecclesiâ Metropolitanâ Mexicâ donatus Præbenda, dein Universitatis Rectorem egit, & ejusdem Ecclesiæ Sacerdotium Lectorale, ut dicimus, pro sacris Codicibus expendentis, prævia Scholæ concertatione, tandem obtinuit. Suo de fundum munere virtum à sapientia & virtute famosum, multa pro Sacrorum elucidatione Bibliorum scripsisse non nescimus,

Commentaria in selecta Sacre pagina loca.

Quæ autem illa fuerint nos fugit, forsitanque ad Angelopolitanum mox dictum Collegium aservata Sodales invenient, atque hæc addere lineis nostris humanissime dignabuntur. Memoriam ejus habet Plaza in Chronicis Academiæ Mexicana Libro 5. cap. 26.

516 D. BARNABAS DE HERRERA, Natione, ut videtur, Mexicanus, cujus nos latet Patria, Ecclesiæ Vallisoletanæ Michoacanensis, quæ Episcopalis Sedes est, Præbenda, ut dicitur, insignitus, quæ erat eloquentiâ, atque in Poesi, cum Hispana tum etiam Latina, facilitate & copiâ dicendi, emertuo Magno Hispaniarum Regi Catholico Philippo IV tumulum ab Ecclesiâ suâ magnificè erectum, natis pro te sym-

bolis & carminibus adornavit, moxque Historicâ narratione funestissimam pompam descripsit, edito vernaculo idioma Opusculo, cui titulum dedit

Solemnissima Exequia à S. Cathedrali Ecclesiâ Vallisoletana Provinciæ Michoacanensis ducta pro inchoyta grataque memoria Catholici & Magnanimi Regis D. Philippi IV cognomento Magni, Mexici, typis V. Bernardi Calderon 1666, in quarto. Extat ad Oratorianam Bibliothecam Mexicam.

517 FR. BARNABAS PAEZ, Natione Mexicanus & Patria, Ordinis S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU alumnus, Philosophia non modo doctus atque Theologia, sed verò etiam insigni idiomatis Mexicani peritiâ, pro eo publicè in Academia Mexicana tradendo destinatus est à pleno Doctorum Consensu Professor, atque præfatus, qui Minerva genio in palæstra contenderant, dicto coram delibatissimo sapientum flore Sermone eadem linguâ concepto, Evangelij themate pridè sortito. Scripsit, ut ex Academicis Libris pro annuis Lectionibus destinatis, habemus,

Artem pro Mexicano idioma comparando.

Quatuor Evangelia eodem idioma explicata, ad moresque expensa.

Methodum pro Sacramentali Confessione eadem quoque dialecto agenda.

S. Athanasij Symbolum eodem

item sermone donatum & opportunis momentis.

Meminit ejus Plaza in Chronicis ejusdem Academiae Lib. 5, cap. 39 n. 592.

† 518 D. BARNABAS PEREZ ET TURGIOS, Natione Mexicanus & Patria, insigni vit ingenio, multumque lubinde commendatus ab crudito Carmelitano F. Petro à S. Simone in Censura praefixa Operi de S. Rosa, quod statim dabimus, ludi Magister non modò ut pueri curis suis demandati graphicè depingerent litteras, casque syllabam addiscerent pro instituto saeregis, sed & ipse quoque litteris & carminibus ludere, ut erat in Hispanis numeris pangendis facilis nec incruditus, egregieque pius, ac sacris propterea argumentis poetice deducendis natus aptus ut dicitur. Edidit

Vitam Beatae Rosa à S. Mariae Virginis Limensis dimetris hispanicis alternis versibus a sonis compendio clausam. Mexici, Formis V. Bernardi Calderon 1670.

Utilitates ab audita Missa plurimas reportatas, hispanis majoribus numeris, vulgo Octavas rimas, expensas, acrostice ductis litteris orationem Dominicam adornantibus, e Sanctis Ecclesiae PP. & DD. palam dedit. Mexici, ex Typographia Joannis de Ribera 1684.

† 519 D. BARNABAS RUIZ DE VENEGAS, Natione Mexicanus & Patria, triplici ornatus laurea in Academia Mexicanensi

pro strenuè navata opera Philologiae, Theologiae, & Canonico Juri; Praesbyter factus, insignem se in Dioecesi praestitit, eum ab litteris & moribus, tum etiam ab administratis ritè Parochijs varijs, alijsque muneribus gestis. Illmús. Archiepiscopus D. D. Franciscus Manzo & Zuniga Vicarium ipse provinciale constituit Zimapani Curionem agentem: Ecclesijs successivè dein praefectus de Tarasquillo & Hueguetoca, Indos ceterosque suae curae mandatos crudivit & juvit, ut Pastorem decet, animarum minime inertem. Quòd verò aliorum etiam in voris eruditionem haberet, tyronum praecipuè in Ecclesiasticis ministerijs, geminam pro ijs instruendis Moralis Theologiae edidit Summam, exigua quidem mole, exsuccam minime vel jejunam, imò doctrinae plenam. Alteram latino totam sermone conscripsit, cui titulu dedit:

De Institutione Sacramentorum, de Peccatis ac Censuris Ecclesiasticis liber unicus. Mexici, apud Franciscum Salvago 1631. in octavo Illmò. quem nuper diximus Archipraesuli Mexiceo dicatam.

Et hujus quidem Summae & editionis meminit D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispaniae Nova tom. 1 pag. 146. Quòd vero anno 1646 exemplaria primum edita rarissima essent, alteram editionem adornavit & Summam, Latinae tantundem ferè vernaculo idiomate superaddens,

or.

omniaque perspicua quidem methodo, & opportuna instituto suo eruditione, cui hispanum praefixit titulum:

De Institutione Sacramentorum, Peccatis, & Censuris Ecclesiasticis, alijsque rebus scitu dignis & intellectu cum pro sacris hominibus, tum etiam pro viris prophanis. Mexici, litteris Joannis Ruiz 1646 in octavo, Nuncupatam civi suo Clarissimo D. D. Joanni Saens de Mañozca, tum temporis Quaestori Fidei Mexiceo, dein Goatemalensis Ecclesiae Antistiti.

† 520 D. BARNABAS DE VARGAS, Natione Mexicanus, ambigua nobis Patria, Praesbyter Secularis, idiomatum Mexicani & Othomiensis admodum doctus, utrumque professus est in Academia nostra, praehabita ad examen duplici concione, altera idiomate Mexicano sortitum sibi Evangelicum textum elucidante semihorae spatio, altera Othomiensi expendente dimidiam ite horam secundum sortem item praebolatum Evangelij locum, atque utraque 24 horarum spatio adornata. Cathedrae possessionem tenuit bilinguis die 11 Februarij anno 1651, & pro commissio sibi munere scripsit

Opuscula Mexicana lingua mane tradenda.

Opuscula idiomate Othomiensi dicenda vespere.

Ejus meminit Plaza in Chronicis Universitatis Mexicae lib. 4. cap. 23. nam. 201.

521 D. BARTHOLOMAEUS DE ALVA, Natione Mexicanus, cujus Patria nobis est in ambiguo, Parochiam de Chiapa de Mota Mexicanae Dioecesis perpetuo rexit titulo; atque ut erat sacris ornatus litteris, & in Mexicano idiomate callèdo eminebat (quod magnopere decus testantur, Operis, quod mox dabimus, Censores gravissimi Doctor Hyacinthus de la Serna, Archiepiscopus Visitator, & PP. Joannes de Ledesma, Primarius Societatis JESU Theologus, & Antonius de Carbajal, ejusdem Familiae doctissimus, omnes Mexicanae etiam celebres eloquentia) juveni ergo Indos atque ipsorum Ministros causa, Opusculum edidit Mexicano itemque Hispano sermone pro excipiendis Confessionibus, proque familiaribus concionibus ad Christianam Indorum institutionem, dictum Latine

Confessionarium majus. Mexici, typis Francisci Salvago 1634. in quarto.

522 F. BARTHOLOMAEUS DE ANLEO, Natione Mexicanus, Goatemala equitum Urbe ortus, Instituta S. Francisci in Provincia ejusdem Regni à SS. JESU nomine nuncupata sequutus, hanc actibus suis laudem promeruit, quae omnium ferax virtutum, & eximia perfectionis compendium est: *Regulam suam ad unguem & litteram observasse.* Insigni Linguarum peritià donatus, earum quae gentibus Regionis sunt